

Petrus de Vinea

*Ep. V 129 (Nobis in uoto gerentibus,
proscriptis superstitiosae...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 129 (Nobis in uoto gerentibus,
proscriptis superstitiosae...)*

dicembre 1251

Rex Corradus significat fidelibus suis regnicolis aduentum suum de Alamannia in Regnum.

1. Nobis in uoto gerentibus, proscriptis superstitiosae dilationis dispendiis, post paternae quin immo dominicae lugubrem fatalitatis euentum felices maiestatis nostrae gressus dirigere celeriter in hereditarii Regni nostri dulces applausus: et ut ex dispendioso mortis excidio corda nostrorum fidelium doloris impulsus exaggerans, non magis procliuis ad gemitum quam ad casum, aduentus nostri tripudio preuio et de maiestatis nostrae presentia desiderata dignae consolationis assumpto remedio, celerius sedaretur. 2. Obstitit uotis nostris, retardans in posterum nostrae uoluntatis affectum, improuisum sacri Imperii regimen, diuina clementia magnificentiae nostrae dicioni submissum. 3. Cuius non contempnenda religio, debita gubernationis habena submissa, inconsulte relinqui non poterat, nec conuiuentibus oculis preteriri; super cuius salubri regimine prouisa nostrae celsitudinis linea, non sine grandi intranea consultatione librata, prout nobis digna suggessit prouisio, sub cuius potentia celebri uita potimur, et uincimus. Fortuna nostris arridente processibus, uiribus hostium imperiose confractis, quin immo penitus eneruatis, ad salubris centrum gubernationis ducet et status, ut nec dampni dispendium nec culpae contagium otio negligentiae, relegata in Imperii gubernatione, continget. 4. Hiis igitur diuina confirmatione peractis, aduentum nostrum in Regnum, uotuius affectibus a fidelibus deuotius et diutius expectatum, antequam presentis mensis spatium lapsus dierum enumeret, prompte promittimus dubitatione uacuum et dilatione seclusum.